

auxilium necessarium ad illam, per quodcumque signum arbitrio et voluntate talis creaturæ ad hunc effectum vel significationem deputatum, quia nulla voluntas creata ex se potest esse sufficiens causa gratiæ, nec potest per se determinare voluntatem divinam, ut efficiat gratiam per signum sensibile seu ad præsentiam ejus, cum nec talis effectus vel concursus sit per se debitus creaturæ, nec voluntas creata ex se possit habere hanc naturalem vim, ut hominem faciat participem divinæ naturæ; necesse est ergo ut certitudo talis significationis vel effectus habeat primam originem seu fundamentum in divina voluntate et promissione. Et hoc sensu diximus, non posse communicari creaturæ primariam auctoritatem instituendi sacramenta, et hoc probat fundamentum primæ opinionis; et re ipsa nihil aliud docent auctores illius. Hoc tamen non obstante certum etiam est, posse Deum facere liberam facultatem alicui puræ creaturæ intellectuali vel rationali (inferiores enim non sunt capaces, ut per se constat), ut suo arbitrio conferat aliis gratiam eo modo, quo voluerit, vel per solum actum internum suæ voluntatis, vel per externum contactum aut verbum, vel per aliquod aliud sensibile signum, ad eum modum, quo communicata est humanitati Christi potestas faciendi miracula, et dandi gratiam, ut late diximus in 1 tomo, disput. 31, quia nulla est per se loquendo major repugnantia in communicanda hac potestate supposito creato, quam naturæ creatæ. Quo sensu diximus in eodem 1 tomo, disput. 47, sect. 1, seclusa ratione meriti et sanctificationis de rigore justitiæ, posse communicari puræ creaturæ potestatem excellentiæ conferendi gratiam. Ex quo manifeste sequitur posse communicare eidem creaturæ, ut suo arbitrio designet externos actus vel cæremonias, per quas vel ad quarum præsentiam infallibiliter detur gratia, quia nulla est in hoc major repugnantia, neque potest aliqua probabilis excogitari. Unde nec Scot. nec alii auctores hoc negant.

4. *Objicit Scotus.* — *Diluitur obiectio.*

Ex his autem tandem concluditur, potestatem instituendi sacramenta esse communicabilem creaturæ. Patet, quia hæc potestas, qualis a nobis explicata est, esset potestas instituendi sacramenta; et tamen ostensum est, illam esse communicabilem. Major patet, quia institutio sacramenti nihil aliud est, quam impositio talis rei, vel actionis sensibilis, ut sit certum signum, et infallibile

gratiæ; sed potestas explicata, est potestas ad hujusmodi actum. Nam qui illam haberet, vere imposeret illam rem ad significandam gratiam. Sed ait Scotus, impositionem ut factam a tali homine non esse institutionem sacramenti, sed solum determinationem signi, qualis erat in sacramento legis naturæ, ut supra diximus. Et ratio est, quia licet tunc voluntas creata determinaret signum, non tamen daret illi veritatem et certitudinem significationis, sed hanc haberet ex voluntate et promissione divina; sacramentum autem esse debet signum certum et infallibile, et ideo institutio ejus non tantum requirit determinationem signi, sed etiam efficaciam, seu certitudinem significationis; et propter hanc rationem quamvis Scotus re ipsa nihil diversum a nobis doceat, tamen in modo loquendi differt, et negat, in eo casu committi creaturæ institutionem sacramenti, sed tantum determinationem signi. Et confirmatur, quia alias in lege naturæ, qui determinabant cæremoniam sensibilem, qua justificandus erat parvulus, essent sacramenti institutores, quod est aperte falsum. Respondetur tamen, verum quidem esse sacramentum debere esse signum certum et infallibile, quantum est in se, et consequenter etiam admitto, institutionem sacramenti non tantum includere impositionem signi, sed etiam efficaciam seu certitudinem significationis ejus. Quapropter necesse etiam est, ut is, qui futurus est potens ad instituenda sacramenta, possit non tantum imponere signum, sed etiam dare illi certitudinem, quatenus habere potest in sua potestate, ut infallibiliter detur gratia, quando, et quomodo ipse voluerit. Dico tamen, hanc potestatem posse committi creaturæ, ut paulo superius declaravi. Neque enim necessarium est, ut in eo, qui instituit hoc sacramentum, sit hæc potestas omnino independens a superiori voluntate, et quasi in primo auctore gratiæ, sed satis est, quod tota efficacia sacramenti pendeat ex voluntate talis creaturæ instituentis hujusmodi signum, quia hæc potestas, quam dicimus communicari posse creaturæ ad instituendum sacramentum, non est primaria, sed secundaria et delegata; ergo ad illam satis est, ut effectus gratiæ sit etiam positus in voluntate ejus, saltem ex delegatione et commissione. Et ideo non est simile determinationi sensibilis cæremoniae, quæ fiebat in lege naturæ, quia institutio sacramenti vere erat facta a Deo; solum applicatio per hanc vel illam cæremoniam

fiabat ab homine tanquam a ministro a Deo deputato, quia in ipsamet institutione relicta fuit indifferens ratio aut modus talis cæremoniae. Sicut nunc etiam liberum est sacerdoti, consecrare in vino albo, aut rubro, quia hoc est indifferens ex vi institutionis talis sacramenti. Unde illa determinatio non est institutio, sed applicatio talis institutionis ad realem materiam; simili ergo modo fiebat in lege naturæ, hac tantum interveniente differentia, quod indifferentia materiæ latior tunc erat. At vero in casu, de quo agimus, non solum determinatio materiæ, sed simpliciter impositio signi, et totus effectus sacramenti esset pendens a voluntate, et potestate ejus, qui immediate institueret sacramentum. Quod tandem confirmatur argumento supra indicato, quia non aliter Christus habuit in humanitate sua potestatem instituendi sacramenta, et tamen juxta modum loquendi Sanctorum et Conciliorum, sect. præcedenti tractatum, non solum ut Deus, sed etiam ut homo habuit potestatem instituendi sacramenta, et de facto illa instituit.

5. *Non est hæc potestas puræ creaturæ commissa.* — Quæres, an hæc potestas alicui puræ creaturæ commissa sit; si enim est possibilis, cur nemini data est? Videtur enim ad quamdam perfectionem, et complementum divinorum operum pertinere, ut per suas creaturas operetur omnibus modis, quibus id fieri potest; et confirmatur, nam quando Christus dixit Apostolis, Joan. 20: *Sicut misit me Pater, ego mitto vos, accipite Spiritum Sanctum, quorum remisistis peccata, remittuntur eis*, videtur eis communicasse similem potestatem, quam ipse habebat, nam eam vim habet verbum: *Sicut misit me Pater*; ergo sicut ipse habebat potestatem instituendi sacramenta, et remittendi peccata, eo modo quo vellet, ita concessit Apostolis potestatem, quia illa verba sunt generalia, et non sunt a nobis limitanda, ut si Rex Proregi suo diceret: *Totam potestatem meam tibi concedo, intelligeretur universam dare sine ulla limitatione.* Respondetur, ex dictis in præcedenti disputatione constare, nullam puram creaturam usam esse hactenus hac potestate, quia nec in lege naturæ, nec in veteri, nec in nova, facta est sacramenti institutio per aliquam creaturam, ut ostensum est. Unde recte inferre possumus, etiam in posterum nullam creaturam usuram aliquando esse hac potestate, quia sicut lex gratiæ ultima est, et usque ad finem mundi durabit, ita etiam institutio sacramentorum ejus ul-

tima est, ac perpetuo duratura, ita ut neque augenda, neque minuenda sint usque ad finem sæculi. Atque hinc tandem inferimus, nemini datam esse hanc potestatem: quia potestas est propter usum; ergo, si usus non fuit unquam, nec futurus est, nec potestas ad illam concessa est. Atque ita Ecclesia, sicut nunquam in se agnovit potestatem mutandi formas vel materias sacramentorum, ita neque augendi, neque minuendi eorum numerum. Ad objectionem ergo respondetur, non esse necessarium, omnem possibilem facultatem concedi puris creaturis, præsertim quia divina omnipotentia et liberalitas, quod ad præsens attinet, satis in hoc manifesta est, quod hanc potestatem humanitati Christi communicavit. Decuit etiam illi soli tribui, tum ob singularem dignitatem et excellentiam ejus, tum etiam propter alias congruentias præcedenti sectione adductas. Ad confirmationem respondetur, verba illa Christi intelligenda esse juxta Ecclesiæ sensum, perpetua traditione receptum, nimirum, eis significasse Christum sacramenti pœnitentiæ institutionem, atque ita dedisse potestatem ad remittenda peccata, non quomodocumque, sed servata forma cujusdam spiritualis judicii, in quo juxta merita causæ reus, vel absolvatur, vel ligetur, seu ligatus relinquatur. Quapropter illa particula, *sicut*, non significat æqualitatem, sed similitudinem, aut imitationem, quod pervulgatum est, ac frequens in Scripturis.

## ARTICULUS V.

Utrum per malos ministros sacramenta conferri possint (infra, art. 9, cor.; et 4, d. 5, quæst. 2, art. 2, et d. 7, quæst. 3, art. 1, q. 1, et dist. 24, quæst. 3, art. 3, quæst. 5, ad 3; et 4 cont., cap. 76).

1. *Ad quintum sic proceditur.* Videtur, quod per malos ministros sacramenta conferri non possint. Sacramenta enim novæ legis ordinantur ad emundationem culpæ, et collationem gratiæ. Sed mali, cum sint immundi, non possunt alios a peccato mundare, secundum illud Eccles. 34: *Ab immundo quis mundabitur? et etiam cum gratiam non habeant, non videtur quod gratiam conferre possint, quia nullus dat quod non habet. Non ergo videtur, quod per malos sacramenta conferri possint.*

2. *Præterea, tota virtus sacramentorum derivatur a Christo, ut dictum est (art. 3*

hujus quæst.). Sed mali sunt præcisi a Christo, quia non habent charitatem, per quam membra capiti uniuntur, secundum illud 1 Joan. 4: Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo. Ergo videtur quod per malos sacramenta conferri non possint.

3. Præterea, si desit aliquid horum, quod debitum est esse in sacramentis, non perficitur sacramentum, sicut si desit debita forma, vel debita materia. Sed debitus minister sacramenti est ille, qui caret macula peccati, secundum illud Levit. 21: Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium ejus; ergo videtur, quod si minister sit malus, nihil efficiatur in sacramento.

Sed contra est, quod Augustinus dicit super illud Joan. 1: Super quem videris spiritum, etc. (tract. 5, circa medium, tom. 9): Quid in Christo non noverat Joannes? Potestatem baptismi ipsum Dominum habiturum, et sibi retenturum, sed ministerium plane transiturum in bonos et malos; quid tibi facit malus minister, ubi bonus est Dominus?

Respondeo dicendum, quod sicut dictum est (art. 1 et 3 hujus quæst.) ministri Ecclesie instrumentaliter operantur in sacramentis, eo quod quodammodo eadem ratio est ministri et instrumenti. Sicut autem supra dictum est (quæst. 62, art. 2 et 3), instrumentum non agit secundum propriam formam, aut virtutem, sed secundum virtutem ejus a quo movetur. Et ideo accidit instrumento in quantum est instrumentum, qualemcumque formam, vel virtutem habeat, præter id quod excigitur ad rationem instrumenti; sicut quod corpus medici, quod est instrumentum animæ habentis artem, sit sanum vel infirmum, et sicut quod fistula, per quam transit aqua, sit argentea, vel plumbea. Unde ministri Ecclesie possunt sacramenta conferre, etiam si sint mali.

Ad 1 ergo dicendum, quod ministri Ecclesie neque a peccatis mundant homines ad sacramenta accedentes, neque gratiam conferunt sua virtute, sed hoc facit Christus sua potestate per eos, sicut per quædam instrumenta. Et ideo effectus consequitur, in suscipientibus sacramenta, non secundum similitudinem ministrorum, sed secundum configurationem ad Christum.

Ad 2, dicendum, quod per charitatem membra Christi uniuntur suo capiti, ut ab eo vitam recipiant; quia, ut dicitur 1 Joan. 3: Qui non diligit, manet in morte. Potest autem aliquis operari per instrumentum carens vita, et

a se separatam, quantum ad corporis unionem, dummodo sit conjunctum per quandam motionem; aliter enim operatur artifex per manum, et aliter per securim. Sic igitur Christus operatur in sacramentis et per bonos, tanquam per membra viventia, et per malos, tanquam per instrumenta carentia vita.

Ad 3, dicendum, quod aliquid est debitum esse in sacramento dupliciter. Uno modo sicut existens de necessitate sacramenti, quod quidem si desit, non perficitur sacramentum, sicut si desit debita forma, vel debita materia. Alio modo est aliquid debitum esse in sacramento secundum quandam decentiam, et hoc modo debitum est, ut ministri sacramentorum sint boni.

#### COMMENTARIUS.

Quære bonitas, vel malitia ministri ad substantiam sacramenti nihil conferat. — In hoc, et sequentibus articulis observandum est, esse quædam ex parte ministri necessaria ad veritatem sacramenti, ut factum teneat, et effectum habeat in suscipiente non ponente obicem; alia vero esse necessaria, ut digne ministretur, quæ duo promiscue tractat D. Thomæ in his articulis. Nos vero majoris claritatis gratia, et ut res morales facilius percipiantur etiam ab his, qui res speculativas minus diligenter et accurate inquirunt, ea separabimus, hic solum explicando quæ sunt de necessitate sacramenti, postea vero totam materiam moralem separatim comprehendendo. In hoc ergo articulo D. Thomas agit de necessitate sacramenti, atque ita respondet, malitiam ministri per se non impedire, quin sacramentum vere fiat, dummodo applicet reliqua omnia, quæ sunt ad sacramentum necessaria. Ratio est, quia cum minister sit instrumentum, non pendet effectus ex forma ejus, quæ ad instrumentum non agit propria virtute, et ideo effectus non fit similis instrumento, sed principali agenti. Circa quam rationem solum est advertendum, primariam causam, ob quam bonitas, vel malitia ministri non est necessaria ad substantiam sacramenti, petendam esse ex Christi institutione et voluntate. Nam si Christus Dominus voluisset, potuisset sine dubio instituere, ut sacramenta non essent rata, nisi a bonis ministris conferrentur, sicut instituit, ut quam plura eorum dari possent a ministro consecrato, et non ab alio, seu a viris, et non a

fœminis. D. Thomas autem supponens, ut clarum est ex doctrina fidei, Christum ex speciali institutione sua non postulasse in ministris sanctitatem, ut necessariam ad valorem sacramenti, hujus institutionis congruentem rationem afferre studuit; et ita est ratio facilis et satis congrua. Quia cum sanctitas ministri non sit futura principium vel causa sanctitatis conferendæ per sacramentum, nulla potuit esse conveniens ratio, ob quam Christus Dominus illam exigeret, ut simpliciter necessariam ad valorem sacramenti. Solutiones argumentorum claræ sunt; solum in solutione ad 2 adnotetur, quod D. Thomas dicit de unionem per fidem. Nam sicut Christus potest uti, ut instrumento, membro mortuo, sibi per charitatem non unito, ita etiam uti potest membro omnino separato, sibi nullo modo actu unito in aliquo esse supernaturali, quia tanta est efficacia ejus, ut possit etiam hujusmodi hominem movere, seu actione illius uti ad sacramenti effectum præstandum, si aliunde substantiale impedimentum non intervenit.

#### ARTICULUS VI.

Utrum mali ministrantes sacramenta peccent (4, d. 5, quæst. 2, art. 2, q. 4, cor., et d. 19, quæst. 2, art. 2, cor. Et d. 24, quæst. 1, art. 2, quæst. 1, et art. 3, quæst. 1 et 5).

1. Ad sextum sic proceditur. Videtur, quod mali ministrantes sacramenta, non peccent. Sicut enim ministratur Deo in sacramentis, ita per opera charitatis, unde dicitur Hebræor. ult.: Beneficentiæ et communionis nolite oblivisci, talibus enim hostiis promeretur Deus. Sed mali non peccant, si ministrent Deo in operibus charitatis, quinimo hoc est eis consulendum, secundum illud Daniel. 4: Consilium meum tibi placeat, peccata tua elemosynis redime. Ergo videtur, quod mali non peccent, sacramenta ministrando.

2. Præterea, quicumque communicat alicui in peccato, etiam ipse est reus peccati, secundum illud Rom. 4: Digni sunt morte non solum qui peccata faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. Sed si mali ministri peccent, sacramenta ministrando, illi, qui ab eis sacramenta recipiunt, eis in peccato communicant. Ergo etiam ipsi peccarent, quod videtur inconueniens.

3. Præterea, nullus videtur esse perplexus,

quia sic homo cogereetur desperare, quasi non potens peccatum evadere. Sed si mali peccarent, sacramenta tradendo, essent perplexi, quia etiam quandoque peccarent, si sacramenta non traderent, puta cum eis ex officio incumbit necessitas (dicitur enim 1 Corinth. 9: Væ mihi si non evangelizavero, necessitas enim mihi incumbit); quandoque etiam propter periculum, sicut si puer in periculo mortis existens, offeratur alicui peccatori baptizandus. Ergo videtur, quod mali non peccent, sacramenta ministrando.

Sed contra est, quod Dionysius dicit 1 c. Eccl. Hier. (declinando ad fin.), quod malis non est fas, nec tangere symbola, id est, sacramentalia signa. Et in epist. ad Demophyl. (8, quæ incipit, Hebræorum tradit histor., parum ante med.) dicit: Talis, scilicet peccator, audax videtur sacerdotalibus manum apponens, et non timet neque verecundatur, divina præter divinitatem exequens, et Deum putans ignorare quæ ipse in semetipso cognovit, et decipere existimat falso nomine Patrem ab ipso appellatum, et audet immundas infamias (non dicam orationes) super divina signa Christi formaliter enunciare.

Respondeo dicendum, quod aliquis in agendo peccat ex hoc quod operatur non secundum quod oportet, ut patet per Philosophum in lib. 2 Ethicor. (cap. 3 et 6, haberi potest et lib. 3, cap. 7, tom. 5). Dictum est autem (art. præced., ad 3) conveniens esse, ut sacramentorum ministri sint justii, quia ministri debent Domino conformari, secundum illud Levit. 9: Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum; et Eccles. 10: Secundum judicem populi, sic et ministri ejus. Et ideo non est dubium, quin mali exhibentes se ministros Dei et Ecclesie in dispensatione sacramentorum peccent. Et quia hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei, et contaminationem sacramentorum, quantum est ex parte ipsius peccatoris (licet sacramenta secundum se ipsa incontaminabilia sint), consequens est, quod tale peccatum ex genere suo sit mortale.

Ad 1 ergo dicendum, quod opera charitatis non sunt aliqua consecratione sanctificata, sed ipsa pertinent ad justitiæ sanctitatem, sicut quædam justitiæ partes, et ideo homo qui se exhibet Deo ministrum in operibus charitatis, si sit justus, amplius sanctificatur, si vero sit peccator, per hoc ad sanctitatem disponitur. Sed sacramenta in se ipsis sanctificationem quandam habent per mysticam consecrationem; et ideo præcigitur in ministro sancti-

tas justitiæ, ut congruat suo ministerio; et ideo incongrue agit et peccat, si in peccato existens ad tale ministerium accedat.

Ad 2 ergo dicendum, quod ille, qui ad sacramenta accedit, suscipit sacramenta a ministro Ecclesiæ non in quantum est talis persona, sed in quantum est minister Ecclesiæ, et ideo quamdiu ab Ecclesia toleratur in ministerio, ille qui ab eo suscipit sacramentum, non communicat peccato ejus, sed communicat Ecclesiæ, quæ eum tanquam ministrum exhibet. Si vero ab Ecclesia non toleratur (puta cum degradatur, vel excommunicatur, vel suspenditur), peccat qui ab eo accipit sacramentum, quia communicat peccato ipsius.

Ad 3, dicendum, quod ille, qui est in peccato mortali, non est perplexus simpliciter, si ex officio ei incumbat sacramenta dispensare, quia potest penitere de peccato, et licite ministrare. Non est autem inconueniens, quod sit perplexus supposito quodam, scilicet, quod velit remanere in peccato. In articulo tamen necessitatis non peccaret baptizando in casu in quo etiam posset laicus baptizare; sic enim patet, quod non exhiberet se ministrum Ecclesiæ, sed subveniret necessitatem patienti. Secus est autem in aliis sacramentis, quæ non sunt tantæ necessitatis, sicut baptismus, ut infra patebit (quæst. 67, a. 3 et 4).

## COMMENTARIUS.

1. Locus D. Thomæ ex duobus locis D. Dionysii illustratus. — Responsio D. Thomæ est, esse peccatum mortale ex genere suo, ministerium Christi et Ecclesiæ ex officio ad hoc deputatum, sacramentum in peccato mortali dispensare, quia debet in suo ministerio, suo principali Domino conformari. De qua conclusione et ratione, et de difficultatibus, quas D. Thomas tangit in solutionibus argumentorum, dicturi sumus late inferius in disputationibus moralibus. Hic solum occurrunt adnotanda duo testimonia Dionysii, quæ D. Thomas affert in argumento Sed contra; primum sumptum est ex cap. 4 de Eccles. Hierar., quod si in rigore litteræ sumatur, non videtur convincere. Docet enim ibi, Christum et Apostolos tradidisse nobis divina mysteria sub sensibilibus signis, cujus institutionis rationem reddens, subdit: *Idque fecerunt non prophanonum modo causa, quibus nec signa quidem fas est contingere et tractare, sed etiam quod hierarchia nostra, id quod dixi, pro modo nostro, signis continetur, cum*

egeat rebus, quæ sensum movent, ad divinorem nostri ex ipsis ad eas, quæ mente comprehenduntur, revocationem. Ubi per prophanos, videtur plane intelligere infideles, qui cum omnino sint a Christo et Ecclesia alieni, semper sunt indigni iudicati, non solum contactu, sed etiam conspectu sacrorum mysteriorum. D. Thomas vero propter quamdam rationis similitudinem ad omnes pravos et iniquos, hujusmodi sententiam ampliavit; et ad ministros sacramentorum et actiones eorum eam applicuit.

2. Secundum testimonium sumptum est ex epist. ejusdem Dionysii ad Demoph., cujus verba, prout a D. Thoma referuntur, obscuriora sunt. Juxta translationem vero Perionii sunt clariora, quæ sic habent: *Ac mihi quidem videtur audax temerarius, si quis ea sibi sumat, quæ sunt propria sacerdotum, neque metu et pudore a divinorum tractatione præter captum ac meritum deterretur, putatque Deum ignorare quæ ipse sibi est conscius, et sperat se decepturum eum, qui a se falso nomine appellatur Pater, audetque scelestas suas (ut ita dicam) maledictiones (neque enim preces dixerim) in divinis mysteriis Christi imitatione proferre. In quibus verbis non videtur loqui Dionysius de malis sacerdotibus ministrantibus sacramentum, sed de illis potius, qui, cum sacerdotes non sint, sacerdotum ministeria usurpant. Hoc enim significare videntur illa verba: Videtur audax et temerarius, si quis ea sibi sumat, quæ sunt propria sacerdotum. Sed licet in specie hoc appareat, tamen revera videtur D. Thomas mentem Dionysii assecutus, nam si antecedentia et consequentia considerentur, de malis sacerdotibus indigne ministrantibus loquitur; prius enim ita scribit: *Quod si sacerdotum ordo illustrandi vim habet, profecto penitus abhorret a sacerdotum ordine atque facultate, is, qui illustrandi vi non est præditus, ac multo etiam magis, qui illustratus non est. Quo loco, abhorret a sacerdotum ordine atque facultate, non significat, non esse sacerdotem, sed abuti munere, et dignitate sacerdotis; quod ergo statim subdit de his, qui præter captum et meritum ea sumunt, quæ sunt propria sacerdotum, non intelligit solum de his, qui, cum sacerdotes non sint, sacerdotalia munera usurpant, sed proprie loquitur de sacerdotibus, qui indigne suo funguntur munere, et eodem sensu accipiendum est quod postea subdit: *Non est iste sacerdos, non est; sed inimicus, fallax, irrisor sui, lupusque in gre-***

gem Domini ovina pelle armatus; nam quod loquatur de sacerdotibus, sequentia verba plane declarant: *Non tamen fas est Demophylo hæc corrigere. Reprehendit enim Dionysius Demophylum, eo quod, cum non esset sacerdos, sed tantum monachus quidam, sacerdotem objurgare, ac corripere ausus fuerat.*

## ARTICULUS VII.

Utrum Angeli possint sacramenta ministrare (4, d. 5, quæst. 2, art. 3).

1. Ad septimum sic proceditur. Videtur, quod Angeli possint sacramenta ministrare. Quicquid enim potest minister inferior, potest et superior, sicut quicquid potest diaconus, potest sacerdos, sed non convertitur. Sed Angeli sunt superiores ministri in ordine hierarchico, quam etiam quicumque homines, ut patet per Dionysium, in lib. Cæl. hierar. (cap. 9, ante med.). Ergo cum homines possint ministrare in sacramentis, videtur quod multo magis Angeli.

2. Præterea, homines sancti assimilantur Angelis in cælo, ut dicitur Matth. 22. Sed aliqui sancti in cælo existentes possunt ministrare in sacramentis, quia character sacramentalis est indelebilis, ut dictum est (quæst. præced., art. 5). Ergo videtur, quod etiam Angeli possint in sacramentis ministrare.

3. Præterea, sicut supra dictum est (q. 8, art. 7), diabolus est caput malorum, et mali sunt membra ejus. Sed per malos possunt ministrari sacramenta. Ergo videtur, quod etiam per dæmones.

Sed contra est, quod dicitur Hebræor. 5: *Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum. Sed Angeli boni, vel mali non sunt ex hominibus. Ergo ipsi non constituuntur ministri in his, quæ sunt ad Deum, id est, in sacramentis.*

Respondeo dicendum, quod sicut supra dictum est (quæst. præced., art. 3), tota virtus sacramentorum a passione Christi derivatur, quæ est Christi, secundum quod est homo, cui in natura conformantur homines, non autem Angeli, sed potius secundum passionem dicitur modice ab Angelis minoratus, ut patet Hebræor. 2. Et ideo ad homines pertinet dispensare sacramenta, et in eis ministrare, non autem ad Angelos. Sciendum tamen, quod sicut Deus virtutem suam non alligavit sacra-

mentis, quin possit sine sacramentis effectum sacramentorum conferre, ita etiam virtutem suam non alligavit Ecclesiæ ministris, quin etiam Angelis possit virtutem tribuere ministrandi in sacramentis. Et quia boni Angeli sunt nuncii veritatis, si aliquod sacramentale ministerium a bonis Angelis perficeretur, esset ratum habendum, quia deberet constare hoc fieri voluntate divina, sicut quædam templa dicuntur angelico ministerio consecrata. S. vero dæmones, qui sunt spiritus mendacii, aliquod sacramentale ministerium exhiberent, non esset ratum habendum.

Ad 1 ergo dicendum, quod illud, quod faciunt homines inferiori modo, scilicet per sensibilia sacramenta, quæ sunt proportionata naturæ ipsorum, faciunt Angeli, tanquam superiores ministri superiori modo, scilicet invisibiliter purgando, illuminando et perficiendo.

Ad 2, dicendum, quod sancti qui sunt in cælo sunt similes Angelis quantum ad participationem gloriæ, non autem, quantum ad conditionem naturæ; et per consequens neque quantum ad sacramenta.

Ad 3, dicendum, quod mali homines non habent, quod possint ministrare in sacramentis ex hoc, quod per malitiam sunt membra diaboli. Et ideo non sequitur, quod diabolus, qui est eorum caput, magis hoc possit.

## COMMENTARIUS.

Animæ separatæ, etiam caractere insinuatæ, ministrare sacramenta non possunt. — Redit D. Thomas in hoc articulo ad explicanda ea, quæ sunt de necessitate sacramenti ex parte ministri, et inquit, an necessario sit futurus homo, vel possit esse Angelus. Et in corpore respondet, primo, necessarium esse hominem ad ministrandum sacramentum, et reddit rationem, quia minister sacramenti est minister Christi, ut est homo, cui in natura conformantur homines, et non Angeli. Quæ ratio continet congruentiam institutionis, nam ratio a priori ex ipsa institutione petenda est, ut in art. 4 diximus. Secundo, dicit D. Thomas, si constaret aliquod sacramentale ministerium factum esse per Angelos, illud esse ratum habendum, quia licet non sit juxta institutionem sacramenti, esset tamen juxta divinam voluntatem, quæ non est alligata sacramentis, de qua sufficienter constare potest ex ministerio honorum Angelorum, qui non possunt, nisi vera